

Joachim Stockmann

**Rector Academiae Rostochiensis, Joachimus Stockmannus, Philos. & Med. Doct.  
Physices Professor, ad exsequias, quae Virgini ... Sabinae Meckenheusers, Hodie  
hora prima parabuntur, Cives Academiae invitat**

Rostochi[ij]: Pedanus, 1633

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770474551>


Druck Freier  Zugang



Stockmann, J.,  
in  
**S. Meckenheuser.**

Rostock, 1633.

33







RECTOR  
Academiae Rostochiensis,  
JOACHIMUS STOCKMANNUS,  
Philos. & Med. Doct. Physices

Professor,

*ad exsequias,*

quæ

*Virgini Pijsima Pudici ssimaq;*

SABINÆ

MECKENHEUSERS,


Hodie hora prima parabuntur,


*Cives Academia invitat.*



ROSTOCHI,

Typis JOACHIMI PEDANI, Acad. Typog.  
ANNO M. DC. XXXIII.

  
R E C T O R  
Academiae Rostochiensis,  
JOACHIMUS STOCKMAN,  
Philos. & Med. D. Physices  
Professor.

 Si verum est, posse Deum in quolibet vitæ statu rectè colitur: tamen videmus in alio plus impedimentorū esse & obijci, quam in alio. Etenim si conjugalem ordinem consideremus, possunt quidem pij conjuges officio veræ pietatis ita fungi, nihil ut in ijs desideretur: nam & orare possunt, & liberos ad pietatem, ad morum sanctitatem educare, & proximum diligere, & alia opera Deo placentia exercere: sed & cursus iste sæpe interrumpitur, & varia impedimenta curarum domesticarum

carum eum sistunt. Cælibes vero & im-  
primis virgines, quæ omnem curam re-  
rum temporalium abjecerunt, quæ DEO  
se totas & meditationi rerum divina-  
rum & spiritualium tradiderunt, & cõ-  
secrarunt, tanto felicius illud, rectiusq;  
præstare possunt, quanto longius à  
mundo remotæ, imò quanto sublimius  
supra mundum evedæ, nihil vident ni-  
si Deum, nihil audiunt, loquuntur,  
meditantur. Hujus vitæ summa dulce-  
do cum à pijs animis semel gustata &  
percepta est, ita eos tenere solet, ut fe-  
re non nisi cum vita ipsa dimittatur.  
Sed hoc uti longe præstantissimum est,  
ita valde rarum, & aliqua admiratione  
dignum in tanta licentia adolescentiæ  
& laxitate disciplinæ, aliquam virginẽ  
invenire, quæ ita comparata sit, ut hu-  
jus mundi delicias ac voluptates ad-  
spernetur, omnem vero suam delecta-  
tionem



tionem in eo solo quærat, ut Deo,  
tanquam sponso cuidam, unice pla-  
ceat, ei se accommodet, eum suspiret,  
eum somnians, eum vigilans cogitet.  
Inventa tamen est, quæ nobis hujus vitæ ex-  
emplū verum daret, & mortis eam vitam con-  
secutæ *Sabina Meckenheusers* / ante annos trigin-  
ta octo nata, parente Viro Spectatissimo *Dn.*  
*Theodorico Meckenbeusero*, Senatore Reipubli-  
cæ Neobrandenburgensis, Matre *Concordia*,  
Viri Spectatissimi *Dn. Friderici Keners* / filia.  
Qui parentes hanc suam filiulam quomodo e-  
ducaverint, qua pietate, quibus moribus im-  
buerint, ex eo satis evidenter apparet, quod an-  
nos tredecim nata cænobium Rostochiense in-  
gressa est, cum naturali quodam vitæ solitaria,  
& sacris meditationibus atq; exercitijs operum  
spiritualium deditæ atq; occupatæ, desiderio, à  
studio pietatis incenso, jam in teneris annis  
flagraret, easq; virgines, quæ vitam in hoc mū-  
do cælestem viverent, præ alijs omnibus beatas  
prædicaret. Hujus ergo sui propositi tenacis-  
sima ita vixit in hoc sanctissimo ordine, ut me-  
minisset, se & virginem esse, & virginem Chri-  
stianam, & virginem sponso *JESU CHRISTO* de-  
dicatam


dicatam & consecratam, non solum in sacro  
sancto baptismo, quod omnibus Christianis  
contingit, sed peculiari deinde voto, ex liberrima  
proæresi profecto, & quotidianis precibus  
confirmato, desponsatam. Cumq; sciret, virgi-  
nem esse non solum quæ corpus integrum &  
intactum servaret, sed animum præcipue à  
lascivia liberum, & spurcis cogitationibus im-  
pollurum haberet, eas præcipue vias obserabat  
& ab omni voluptariæ delectationis insultu de-  
fendebat, per quas animum voluptates adori-  
ri, capere & corrumpere solent. Hinc factum,  
ut nec ipsa quidquam in oculos, vel aures ad-  
mitteret impudice dictum, vel pictum, vel fi-  
ctum, nec ullis omnino sermonibus interesset,  
qui virgini parum convenirent, multo minus  
ut ipsa diceret, quod lasciviæ speciem haberet,  
vel sinistram interpretationem admitteret,  
Nec illud ignorabat, animi castitatem eo con-  
stantiorem & munitiorem esse, quo corpori mi-  
nus indulgeret: idq; tanquam lasciviens bru-  
tum cibo subtracto domaret: itaq; jejunijs non  
superstitiosis illis, non delicatis, in ciborum  
fastidioso delectu positis, quæ non raro ad irri-  
randam gulam inducuntur & instituuntur, sed  
veris & ad pietatis minimè simulatæ exerci-  
tium

rium constantius, ad preces eo ardentius fundendas, comparatis, & quidem quotidianis, continuis, ex abstinence continentiam, castitatem, temperantiam, excitantibus, alentibus, manientibus, ita dedita erat, ut sodalibus suis exemplo, ceteris admirationi esset, qui nimirum fieri posset, ut victu tam exili vitam sustineret. Cumq; ista omnia ageret, non otij quodam amore ac desidia, & fuga laboris, sed vero ac serio Dei amore, nec ut apud homines in precio esset ut admiratione præcipua, ut quondam vestales Romanæ, sed ut Dei gloriam, quantum in ipsa esset, promoveret, Christianæ virginis officio fungebatur.


Nec incepit quidem bene hoc suæ pietatis curriculum, non autem profecuta est, quod quædam solent: sed ad ultimum usq; vitæ terminum hoc egit indefesso studio, ut voto, quod perpetuum esse, & ipsa optabat, & à Deo ac Sponso suo Jesu Christo continuis precibus contendebat, absq; impedimento defungeretur. Vestalibus quidem Romanis olim licebat expleto tempore sui sacerdotij, quod erat triginta annorum, ut est apud Plutarch. nubere, & relicto sacerdotio aliam vitam instituire: sed paucæ tamen, ut ajunt, istam facultatem amplexæ

amplexæ sunt, neq; letam secutis, quia peni-  
tentia & marito per vitam reliquam implica-  
ta vixerant, & cæteris religionem incusserunt,  
ut ad senectutem usq; & mortem in virginitate  
persisterent. Unde apparet, neq; propter Dei  
amorem hoc vitæ genus eas amplexas & secutas  
esse, neq; propter ejus gloriam in eo persistisse,  
cum solo securura infelicitatis metu à mutan-  
do deterrentur. Hæc nostra vero *Sabina* neq;  
sine Deo hunc ordinem ingressa est, neq; sine  
Deo in eodem persistit, neq; nunc sine Deo e-  
gressa eundem deseruit, sed ubiq; Deum ducem  
& autorem secuta, Deo comite usa, Deum sua  
pietatis remuneratorem adeptæ est. Cum e-  
nim hoc adeo sanctum vitæ innocentis & vir-  
ginitatis servanda institutum tanta constan-  
tia ugeret, proximo die tertio decimo hujus  
Martij cepit pleuritide corripit & laborare: nec  
magno sane impetu opus fuisset, ad corpus re-  
nellum, & vires non validas expugnandas, ta-  
men & accessus morbi satis vehemens fuit, &  
progressus nihilo levior tardiorve, quantum-  
vis medicorum industria contra niteretur.  
Hanc illa vim patienter tulit, & animo tandem  
superavit heroico & christiano, quem pridie  
sacra synaxi confirmaverat: siquidem 26. hujus-  
dem

dem mensis hora tertia matutina, maximo æternæ vitæ desiderio, inter preces, amplexus & lacrimas cæterarum sodalium, quib. unice cara fuit, animam DEO & redemptori suo reddidit, cognatis vero & amicis luctum ac desiderium sui reliquit. In quibus duæ sorores *Elisabetta*, Ampliff. & Spectatiff. Viro *Dn. Joanni Schambach* / Senatori Reipub. veteris Stetini primario, & *Constantia* prudentissimo Viro *Dn. M. Petro Furstenovio*, Reip. Demminensis Camerario dignissimo nuptæ, ante octiduum hæc nostram visitarunt & mutuo conspectu complexuq; exhilaratæ discesserunt, nunc obitum ejus haud dubie lugent acerbe, quibus ut Deus pater consolationum adesse velit, ex animo precamur. Nostrum erit, cives Academici, virgini empiam, castissimã, DEI amore sincero flagrantem, nunc voto suo potitam imitari, supremum Christianæ pietatis officium ei præstare, & corpus hodie hora I. ritu Christiano sepeliendum prosequi, & ad laureolam, qua illa nunc ornata triumphat, æternæ felicitatis simili studio & conatu, sed & successu, quem DEUS largitur, contendere. P. P. sub Sigillo Rectoratus  
29. Martij. Anno M. DC. XXXIII.














dicatam & consecratam, non solum  
sancto baptismo, quod omnibus  
contingit, sed peculiari deinde votum  
ma proæresi profecto, & quotidianum  
confirmato, desponsatam. Cumque  
nem esse non solum quæ corpus intactum  
servaret, sed animum lascivia liberum,  
& spurcis cogitationibus pollutum  
haberet, eas præcipue vitæ & ab omni  
voluptariæ delectatione fendebar, per  
quas animum voluptati, capere & corrumpere  
solent. Hæc ut nec ipsa quidquam in  
oculos, videri mitteret in pudice dictum,  
vel pietatis dictum, nec ullis omnino  
sermonibus qui virgini parum convenirent,  
nec ut ipsa diceret, quod lasciviæ speciem  
vel finistram interpretationem præstaret.  
Nec illud ignorabat, animi castitatem  
stantiorem & munitiorem esse, quod  
nus indulgeret: idque tanquam lasciviam  
cibo subtracto domaret: itaque  
superstitiosis illis, non delicatis,  
fastidioso delectu positis, quæ non  
tantam gulam inducuntur & instigant  
veris & ad pietatis minimè simulantur.

A 3

